

non recto statim tramite ad instructissimum hoc Musarum Emporium accessisset. a) Enarrantem, sub initium adventus, *Lutherum* reperit *Genesis Mosaicam* & in Josephi fatorum initiis hærentem, quibus in Ægyptum venditum a fratribus traductumque esse, dura servitute illic opprimendum, refertur. *Philippus* autem ea tempestate Epistolam *Pauli ad Romanos* explanabat, *Locosque Communes* recognoscebat, *Ptolomæi* quadripartitam horis diversis adjiciens, atque in *Græcis* insuper *Historiis* & *Ethicis Aristotelis* suam dexteritatem abunde probans. Excepit hinc noster ex ore dictitantis Magistri Libellum Ethicum, cui titulus: *Epitome Philosophiæ Moralis*, & alia. Adhæc Horatium de Arte Poëtica dilucidantem amplius audivit, atque ita in Theologiæ non minus, quam Humanitatis studiis, præeunte communi illo Germaniæ præceptore, incrementa larga adeptus est. Exinde fidissimum hunc ducem amore incredibili, ad exemplum plerorumque condiscipulorum, amplexus est, quem quoad vixit nunquam neque deposuit, neque etiam passus est, vel minima ex parte, decrementa capere.

## §. VII.

Enimvero, quamvis Philippum in præcipuis Præceptoribus habuerit, ac penitus sectatus sit; tamen, neque alios, uti dictum est, contemnendo, negotium nobis dedit eorum quoque fidem & merita ut commemoremus. Primus inter hos occurrit *M. Vitus Vinshemius*, a patria vulgo sic cognominatus, cui alias verum *Ortlini* nomen fuerat. a) Atque illum quidem Medicæ artis D. & Gr. L. Prof. recens in Academiam receptum, Homeri Iliadem explanantem, non modo audivit publice, sed etiam ad ipsa Græcæ Grammaticæ elementa cum eodem descendit,

a) Vid. Libell. Versif. Præf. A. I. b.

b) Vid. Epist. Philippi ad Hier. Ebner & Casp. Nüzel Tom. Lugd. p. 42. & Intimationes Witteb. passim: ut et Baltb. Manzii Syntagma Epitaph. Witteb. L. II. p. 103. seqq.